

ADOLPHVS COMES HOLSATIAE ET SCHAVVENBVRGI.



ADOLPHUS ex illustri familia comitū de Hol-
satz prognatus, multis uirtutib. insignis fuit,
atq; sua fortitudine alios príncipes longe supera-
uit. Itaq; post patrē suam ditionem prudenter gu-
bernauit, ac contra finitimorum potentiam forti-
ter defendit. Accidit autem eius tempore ut Chri-
stiani in Syria plurimum periclitarentur. Itaq; Ce-
sare Heinrico eius nominis sexto multi principiū
Germanorum expeditionem in Syriam suscep-
runt, anno 1197. In ea Adolphus præsens interfuit,
atq; suæ uirtutis plurima documenta dedit. Cum
enim circa Berithum Barbari erumperent atque
Christianos laceßerent, Adolphus suos cohorta-
tus primus in hostem irruit, atq; eorum ducem equo deturbatum transfodit.
Postea exercitus hostilis uictus, atq; urbs Berithū cū arce munitissima expu-
gnata fuit. Itaq; Adolphus in magna autoritate apud Christianos semp extitit.